



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Gubernatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§. 7. Militiæ auaritia cur, & quomodo à Deo plectatur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

etiam Ecclesiæ deturbatis frumenti numerum ingentem corrumpit. Quodque homines nouo stupore defixit, magna serpentum turba cum ingenti dracone, secundo flumine, in mare delapsa, quæ post falsis fluctibus hausta, & ad littus eiecta intuentibus omnibus memorabile spectaculum edidit. Quot tunc terræ fructus, quot iumenta & alia animalia, quot vestes, quot domos, quot thesauros putemus perijsse? quemadmodum & in alijs similibus pluribus cladibus, de quibus in libro de Mundo & Mundi partibus egi. An frustra Deus tales plagas immisit? Digni erant homines, priuari opibus, quarum abusu dignis Deum honoribus priuauerunt.

§. VII.

Militia auaritia cur? & quo modo à Deo plectatur?

Neque rex tantum in causa fuit, quo diuinus iudex fortè tamquam flagello usus est, sed sæpe populus ipse oppressus, à Superioris eiusmodi pœnas extorsit, sæpe etiam meruit; neque rarò, vt communi clade plecterentur, omnes à summo ad imum peccauerunt. A summis incipiamus. Tales enim Iudæorum principes describit Isaias

his

his verbis : *Canes impudentissimi nescierunt sat- Ila. 56. 16*
turitatem, quantumcumque edant, bibant,
 corradant, *ipsi pastores ignorauerunt intelli-*
gentiã, nec interrogauerunt, quid fas, quid
 nefas esset, ab ouibus exigere : *omnes in viam*
suam declinauerunt, unusquisque ad auaritiam
suam, à summo vsq; ad nouissimum. Summi
 vt nouissimos degluberent; nouissimi vt
 summos deciperent, atq; ita vtrunque fie-
 rent rei. Domi belliq; in curijs & castris
 auditur vox illa : *Venite, sumamus vinum, &*
impleamur ebrietate : & erit sicut hodie, sic &
cras, & multò amplius. Hinc ventres pingue-
 dine & omento loricated ferre nec validissi-
 mi equi possunt; sellæ ipsæ, in quibus per-
 græcantur isti Bacchi potiùs, quàm Martis
 alumni, rumpuntur; & plura pocula, quàm
 tela circumferuntur; plura conuiuia, quàm
 prælia numerantur; splendet argentum in
 mensis, ferrum rubigine sordet in vaginis.
 Hæc vita sine diuitijs non agitur; diuitiæ
 non sufficiunt, nisi militibus decedat, quod
 ducibus accedit. Eunt igitur milites, & ru-
 sticos deprædantur; duces, vt sit *sicut hodie,*
sic & cras, & multò amplius, militum stipen-
 dia interuertunt. Ita non ad præliandum,
 sed ad spoliandos miseros animantur. Sic

merentur, quod alijs faciunt, pati vicissim,
 Matth. 7. juxta illud: *In qua mensura mensi fueritis,*
 2. *remerietur vobis.* Hoc est, quod per Prophe-
 Isa. 33. 1. tam minatur Dominus: *Va qui pradaris,*
nonne & ipse pradaberis? Hoc est, quod mul-
 ti iniuste lamentantur, quando omnia plau-
 stra, & prædæ, quas multis annis compor-
 tarunt, in hostium manus incidunt, repente
 è Cræsis Iri & Codri facti. Neque militia
 duntaxat ista, sed etiam domi contingunt;
 vbi potentes nonnulli soli volunt terram
 possidere, quæ egenis gementibus, & pau-
 peribus oppressis sedebit desolata. Nam id-
 circo potentes Dominus sinit vastari. Mi-
 chææ testimonium audi: *Et concupierunt*
 Michææ 2. 2. *agros, & violenter tulerunt, & rapuerunt do-*
mos: & calumniabantur virum, & domum eius:
virum & hereditatem eius. Idcirco hæc dicit
 Dominus: *Ecce ego cogito super familiam istam*
malum: unde non auferetis colla vestra, &
non ambulabitis superbi, quoniam tempus pesti-
imum est. Tempus planè pessimum, quo per
 mille fraudes agri, horti, ædes, totæ hare-
 ditates inuaduntur, & iura omnia seponun-
 tur; nullâ reuerentiâ maiorum, nullo re-
 spectu fundatorum; nullo metu Dirarum,
 quas priuilegiorum à se datorum violatori-
 bus

bus proavi, aui, parentes sunt imprecati. Quorum tanta fuit pietas in destinando, tanta liberalitas in largiendo, tanta sollicitudo in prouidendo, vt eorū maledictiones & imprecationes meritò exauditæ, in filios ac nepotes adducantur; qui dum auferunt, quod eorum progenitores cœnobijs, templis, ædibus & viris Deo sacratis, denique ipsi Deo consecrârunt, digni sunt, vt & quæ bonis titulis habent, amittant. *Va qui pradaris, nonnè & ipse pradaberis? In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Nam illi, qui vobis Deum placare, qui preces, qui sacrificia pro vestra incolumitate offerre deberent, oppressi, victu, vestitu, rebus ad vitam necessarijs priuati, dum manus ad cælum tendunt, & causam suam agunt, vos, si non verbis, tamen egestate sua accusant. Fames, sitis, nuditas, quidquid pro illis clamat, contra vos clamat. Si enim, Domino vetante, in crastinum solliciti esse non debetis, cur auaritia vestra in annos, in sæcula cumulat thesauros? cur, vt posteris vestris bene sit, malè vos agere vultis? Tantusné est in vobis posteritatis amor, vt velitis filios vestros damnatione parentum fieri fortunatos? immò infortunatos?

§. VIII.

Isa. 33. 13

Matth. 7.

2.